

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVIII - N. 2

1996

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1996

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis Germaniam inuisitantis ad Praesules Episcoporum Conferentiae Eiusdem Nationis	171
--	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia SS.mi	175
---	-----

ACTA CONSILII

NOTAE EXPLICATIVAE

<i>Assoluzione generale senza previa confessione individuale.</i> Nota explicativa quoad can. 961	177
<i>Obbligo del Vescovo di risiedere in Diocesi.</i> Nota explicativa quoad can. 395 CIC	182
ALIAE QUAESTIONES STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	187
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	190
SYNTHESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO	191

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio VII)	237
Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio VIII)	262
Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio IX)	303
Notitiae	327
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	330

II
COETUS STUDII
« DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO »

Sessio VIII
(dd. 13-17 octobris 1975 habita)

Diebus 13-17 octobris 1975, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, habita est Sessio Consultorum qui Coetum Studii efformant ad recognoscendos canones CIC « De Magisterio Ecclesiastico ».

In initio sessionis E.mus Commissionis Praeses, Pericles Felici, praesentat Exc.mum Rosalium Castillo Lara, Episcopum titularem Precausen., qui mense maio elapso renunciatus est Secretarius nostrae Commissionis; itemque salutem dicit Exc.mo Maximino Romero de Lema, Archiepiscopo titulari Aemonien, seu Civitatis novae, Secretario Sacrae Congregationis pro Clero, necnon Rev.mo Patri Romeo Panciroli, F.S.C.I., Secretario Pontificii Consilii instrumentis communicationis socialis praepositi. Consultoribus nostrae Commissionis nuper nominatis et qui prima vice huius Coetus laboribus intersunt.

Conventibus partem habuerunt Exc.mi tres atque Rev.mi duo et Ill.mus unus Consultores.

Exc.mus Rosalius Castillo Lara, Commissionis Secretarius munere Praesidis et Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin munere Relatoris functi sunt.

Aliquibus conventibus adfuit etiam E.mus Card. Praeses Commissionis Pericles Felici.


Rev.mi DD. Marianus De Nicolò et Franciscus Voto, adiutores a studiis Commissionis, acta redigerunt.

Materia propria in hac Sessione pertractanda est recognitio omnium schematum, quae iam pluries sunt revisa. In hac recognitione observationes a Congregationibus pro Clero et Educatione Catholica factae quam maxime considerabuntur.

Ad canones de Magisterio ecclesiastico in genere quod attinet, Exc.mus Secretarius notat saltem cann. 1 et 2 potius ad Legem Ecclesiae Fundamentalem pertinere et hic tantum subsidiarios esse. Et insuper can. 4 magis ad ius poenale pertinet, saltem quoad ultimam partem.

Em.mus Praeses quaeritne necessario definitio de haeresi, apostasia et schismate danda sit.

Respondet Rev.mus Relator quod oportet ut quid sit haeresis, schisma



et apostasia definiatur, quia ad Codicem revera pertinet scire quinam sit haereticus, schismaticus et apostata: et sic habet momentum suum iuridicum. Eodem modo oportet ut sciatur de bona vel mala fide.

Cum nulla alia animadversio fiat, canones 1-6 probantur uti iacent, et transitus fit ad canones de Divini Verbi ministerio pro quibus Congregatio pro Clero suum proponit textum alio ordine redactum, praesertim quoad catechetica institutionem.

Animadvertit, iam in initio, Rev.mus Relator quod non tam in Codice quam potius in Directorio quodam normae a Sacra Congregatione propositae locum magis aptum invenirent.

Exc.mus primus Consultor animadvertit quod necesse est ut inter praedicationem ministri ordinati et non ordinati distinguatur, videlicet qui sacram recepit ordinationem vel minus. Et hoc magni est valoris pro catechismo, pro praedicatione in Ecclesia, tamen non infra Missam. Etenim si quis ordinationem non recepit, neque mandatum neque obligationem docendi habet, tamen radicitus remanet responsabilitas quam quisque in Ecclesia ad hoc habet.

Missionis conceptus in catechesi nimis restrictus in schemate Commissionis videtur, et insistendum est ut in Codice, etsi non omnia quae de organizatione catechetica in observationibus S. Congregationis continentur, tamen aliquid amplius oporteat ut in Schemate habeatur et saltem aliqua obligatio hac de re in regionibus vel nationibus innuatur.

Ad schematis ordinem quod attinet, Exc.mus Vir illum a S. Congregatione propositum enuntiat: 1) de ministerii natura; 2) de ministris; 3) de missione; 4) de formis et officiis peculiaribus.

Em.mus Praeses animadvertit punctum sat grave esse illud de fidelium obligatione testimonium etiam ex verbo dandum. Tamen principia doctrinalia circa hoc supponuntur et ad Codicem res non pertinet.

Debemus revereri subsidiariorum principium, secus de indebita appropriatione accusaremur.

Exc.mi secundus et tertius Consultores ordinem a nostro Coetu propositum praeferunt.

Rev.mus quartus Consultor adnotat certissime Sacram Congregationem suas habere rationes, tamen valde dubitat an canones ab illa propositi praeferendi sint. Omnia perfici possunt, sed opportunum ei non videtur ut ordo ex integro mutetur.

Can. 7 (CIC 1327, § 1)

§ 1. Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii; Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communio-

ne et sub auctoritate Summi Pontificis, hoc magisterium exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Ecclesiam.

§ 2. Pro universa Ecclesia munus christiani « nominis propagandi singulari modo Romano Pontifici, Petri successori, demandatum est.

§ 3. Illud munus exercent Episcopi singuli, quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque pro Ecclesia particulari sibi commissa, aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam iuris.

Ad § 1: Em.mus Praeses praeoptat ut loco « praedicatio Evangelii » dicatur « praedicatio Verbi Dei ».

Respondet Rev.mus Relator quod Evangelium modo latiori sumitur uti doctrina universa sive scripta sive oralis.

Dicitur enim de evangelizatione, quae per praedicationem fit.

Remanet textus et placet § 1.

Ad § 2: Nulla fit animadversio: placet textus.

Ad § 3: Exc.mus tertius Consultor proponit ut post « providentes » verba « modo pastoralis » adiungantur. Sed post disceptationem, textus prout iacet remanet, quia expressio est nimis vaga cuius sensus non semper sibi constans est.

Can. 8 (CIC 1327, § 2)

§ 1. Episcopi officio Evangelium annuntiandi per se ipsi tenentur.

§ 2. Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei annuntiandi; praesertim hoc officio tenentur, quoad gregem sibi commissum, parochi alique quibus cura animarum concreditur; diaconorum etiam est in diaconia verbi Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire.

§ 3. In hoc munere adimplendo Episcopi insuper in auxilium sibi assumant religiosos necnon idoneos laicos, utriusque sexus, eos praesertim qui Institutis saecularibus sunt adscripti.

Textus indicationem continet — animdadvertit Rev.mus Relator — eorum qui evangelium annuntiandi obligatione tenentur: Episcopi, presbyteri, praesertim parochi, diaconi et religiosi.

Ad §§ 1-2: nulla fit animadversi: placent.

Ad § 3: Exc.mus primus Consultor instat ut in textu exigentia etiam laicorum evangelium nuntiandi vi ipsius baptismatis declaretur, ideoque

dicatur in fine his vel similibus verbis: « quippe qui ipsius baptismatis ratione ad hoc officium teneantur ».

Rev.mus quintus Consultor rem habere momentum tenet pro missionum territoriis.

Tamen Ill.mus sextus Consultor notat catechistas tantum post examinationem assumi, quapropter Rev.mus Relator tenet ut in textu sufficiat quod iam continetur: « idoneos » iam supponit aliquod examen et ad rem firmandam proponit ut adiungatur « et probatos ».

Ill.mus sextus Consultor proponit ut post « Episcopi », claritatis causa, adiungatur « dioecesani ».

Exc.mus secretarius se contrarium dicit additionibus characteris dogmatici.

Exc.mo primo Consultori adiunctio, quam ipse proposuit, videtur consona non tantum technicae iuridicae quam respondens rationi psychologicae.

Alii tamen contrarii sunt, quia canonis sensus est quod Episcopi sibi alios in evangelisationis opera sociare debent. Adiunctio proposita in eadem linea laicos et Episcopos poneret, quod est aequivocatio.

Denique propositio Exc.mi primi Consultoris non probatur et textus sic sonat:

« In hoc munere adimplendo Episcopi dioecesani insuper in auxilium sibi assumant sodales Institutorum vitae consecratae necnon idoneos probatosque laicos, utriusque sexus ».

Can. 9 (novus)

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibeant Episcopi in hodierno tempore quae praesto sunt, imprimis praedicationem atque catechetica institutionem, quae quidem semper principem locum tenent, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem declarationibus publicis occasione quorundam eventuum factis, prelo variisque instrumentis communicationis socialis.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco « prelo variisque instrumentis » dicatur « instrumentis communicationis socialis, praesertim radio, prelo, televisione... », quia prelum unum est tantum ex mediis socialis communicationis.

Rev.mo Relatori difficultatem facienti ex textus longitudine, Rev.mus quintus Consultor proponit ut elenchus tollatur et dicatur tantum « instrumentis communicationis socialis ».

E.mus Praeses animadvertit quod etiam Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei in Instructione quae de librorum censura edidit, in prelum instat utpote instrumentum princeps communicationis socialis.

Exc.mus secundus Consultor adnotat textum fere ad verbum decretum Concilii referre ideoque mutandum non esse nisi gravi ex ratione.

Textus remanet prout est, mutato « variisque » cum « aliisque ».

Can. 10 (CIC 1328)

Nemini licet quodvis ministerium verbi Dei annuntiandi exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, sive facultate specialiter data, sive officio collato cui vi iuris hoc munus inhaereat.

Exc.mus Secretarius praeferret ut verbum « receperit » in fine ponatur.

Contradicit tamen Rev.mus Relator quia melius specificatur quoniam ex officio et quoniam ex facultate speciali ministerium exercent. Placet textus.

Caput I: DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

Can. 11 (novus)

Cum Dei populus primum coadunetur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere, munus praedictionis magni habeant Christi ministri, quippe quorum primum officium sit Evangelium Dei omnibus evangelizandi.

Textus — animadvertit Rev.mus Relator — est introductio quaedam et enuntiatio fundamentalis continetur.

Placet.

Can. 12 (novus)

§ 1. Episcopus, etiam titularis, ubique terrarum praedicandi habet facultatem, atque in omnibus ubique ecclesiis aut oratoriis, etiam exemptis, praedicare potest, nisi loci Ordinarius in casibus particularibus id expresse renuerit.

§ 2. Ordinarius loci, licet dignitate episcopali non sit insignitus, ius habet praedicandi in qualibet sui territorio ecclesia, quamvis exempta.

Ad § 1: Exc.mus tertius Consultor praeoptat ut tantum Episcopus dioecesanus et non Vicarius generalis renuere possit facultatem praedicandi

alii Episcopo in propria dioecesi, quia dedecet quod sacerdos aliquem Episcopum exercitium suae facultatis prohibere possit.

Contradicunt Rev.mus Relator et Exc.mus Secretarius, qui notant etiam Ordinarios religiosos denegare posse ne aliquis Episcopus praedicet. Et Exc.mus Secretarius praeferret quod Episcopus debeat, ut praedicet, certiorum reddere Ordinarium dioecesanum, quia secus ipse tantum post factum agere potest. Tamen, expleta disceptatione, textus probatur uti est.

Ad § 2: Placet.

Can. 13 (CIC 1337-1338)

§ 1. Solius Ordinarii loci est facultatem praedicandi pro suo territorio concedere aliis clericis, sive saecularibus sive religiosis, etiam exemptis, salvo praescripto § 2.

§ 2. Ad praedicandum in religione clericali coram religiosis exemptis aliisve de quibus in can. 514 § 1, facultatem facit eorum Superior, ad normam Constitutionum, et quidem non tantum sodalibus propriae religionis, sed etiam clericis saecularibus et sodalibus alius religionis, dummodo tamen a proprio Ordinario aut Superiore idonei fuerint iudicati.

§ 3. Ad sermonem de doctrina christiana faciendum via radiophonica aut televisifica, servantur praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

Ad § 1: Placet.

Ad § 2: Terminologia ad ea quae in alio Coetu statuta sunt adaptatur, ideoque textus sic sonat:

«Ad praedicandum in clericali instituto vitae consecratae coram sodalibus exemptis aliisve de quibus in can. 514 § 1, facultatem facit eorum Moderator, ad normam Constitutionum, et quidem non tantum sodalibus proprii instituti, sed etiam clericis saecularibus et sodalibus alius instituti, dummodo tamen a proprio Ordinario aut Moderatore idonei fuerint iudicati». Placet.

Ad § 3: Rev.mus quintus Consultor valde opportunum censet praescriptum huius paragraphi, quae de missione tractat, tamen ei videretur bonum ut magis Ordinariorum et Conferentiae competentia praefiniretur.

Respondet Rev.mus Relator, televisionem et radiophoniam non unam tantum dioecesim respicere quam potius integrum territorium nationale, quapropter auctoritas, quae missionem dat, nequit esse nisi Episcoporum Conferentia.

Textus probatur sicuti est.

Can. 14 (CIC 1339)

§ 1. Qui ab Ordinario loci facultatem obtinuerint, praedicare non possunt ad sodales religionis laicalis exemptae sine eorumdem Superioris licentia, nec ad moniales regularibus subiectas sine Superioris regularis assensu.

§ 2. Religiosi omnes praeterea, ut facultate recepta uti possint, indigent proprii Superioris licentia.

Textus placet, sed aptandus est iuxta terminologiam a Coetu de religionis statutam, i.e.:

«§ 1. Qui ab Ordinario loci facultatem obtinuerint, praedicare non possunt ad sodales instituti vitae consecratae exempti sine eorumdem Moderatoris licentia, nec ad moniales regularibus subiectas sine Moderatoris regularis assensu;

§ 2. Sodales instituti vitae consecratae omnes praeterea, ut facultate recepta uti possint, indigent proprii Moderatoris licentia ».

Can. 15 (CIC 1339)

Ordinarius loci religionis qui a proprio Superiore proponuntur, sine gravi causa facultatem praedicandi ne deneget concessamque semel facultatem ne revocet.

Placet, sed textus aptatur iuxta terminologiam Coetus de Institutis vitae consecratae: loco « religionis » dicatur « sodalibus instituti vitae consecratae »; loco « Superiore », dicatur « Moderatore ».

Can. 16 (CIC 1340)

§ 1. Loci Ordinarius aut Superior religiosus competens, facultatem aut licentiam praedicandi ne concedat nisi illis qui sunt moribus probi et qui sufficienti doctrina gaudere probati sunt per examen ad normam can. 877, § 1; concessam semel facultatem aut licentiam sine gravi causa ne revocet.

§ 2. Contra decretum quo revocatur facultas aut licentia praedicandi, datur recursus, sed non in suspensivo.

Ad § 1: Placet, sed loco « Superior religiosus » dicatur « Moderator instituti vitae consecratae »; loco « sufficienti » dicatur « sufficienti et certa ».

Ad § 2: placet.

Can. 17 (CIC 1341)

§ 1. Episcoporum Conferentiae est insuper normas statuere quibus definiantur conditiones et licentiae requisitae ut sacerdotes extradiocesani, sive saeculares sive religiosi, a parochis aut ecclesiarum rectoribus invitari possint.

§ 2. In ecclesia paroeciali quae simul sit capitularis aut confraternitatis propria, invitationem facere, servatis praescriptis Episcoporum Conferentiae, ad parochum pertinet, nisi de functionibus agatur capitulo aut confraternitati propriis.

Ad § 1: Exc.mus Secretarius non videt criterium quo hoc in casu licentia Episcoporum Conferentiae reservatur. Et quaeritne tantum de convenientiae ratione agatur, quia ius Episcopi certum adest, et de cetero iudicium de normarum Conferentiae applicatione ad singulum Episcopum spectat.

Exc.mus tertius Consultor explicat ius, quod quisque Episcopus habet, non auferri, tamen ei valde convenit consensum Conferentiae habere. Vitatur hoc modo etiam varietas in agendi ratione pro uno eodemque territorio.

Textus placet.

Ad § 2: Placet, sed loco «confraternitatis» dicatur «consociationis».

Can. 18 (CIC 1342)

§ 1. Facultatem praedicandi Ordinarius et Superior religiosus concedat solis sacerdotibus aut diaconis, non vero ceteris clericis, nisi iusta de causa et in casibus singularibus.

§ 2. Ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi certis in adiunctis necessitas id requirat, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta.

Ad § 1: Cum hodie amplius non sint clerici infra diaconatum, verba «non vero... singularibus» supprimuntur et § 2 cum § 1 iungitur.

Quaestio exsurgit de laicorum praedicatione eiusque limitibus ita ut distinguendum sit inter praedicationem *in Ecclesia*, quae certis in adiunctis possibilis est etiam laicis, et *intra Missam*, quae ipsis prohibetur (etsi quibusdam Conferentiis concessa est — ex. gr. Germaniae), quia aequatio aliqua datur inter Missam, quae ad sacerdotem pertinet, et divini Verbi praedicationem.

Post disceptationem omnes conveniunt ut textus relinquatur prouti est,

quia ad Episcoporum Conferentiae praescripta res remittitur, quae praescripta ab Apostolica Sede probari debent. Tamen, ne in textu etiam homilia includatur, in fine adiungitur «salvo can. 19, § 1», ubi expresse homilia a laicorum praedicatione excluditur, utpote actus magisterii qui etiam ad spectum culturalem prae se fert, cum liturgiae pars sit. Situationes sunt inter se diversissimae et concessionis pro aliquibus Nationibus non defuerunt ex parte Sanctae Sedis, tamen adest responsio authentica Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, in *AAS* publici iuris facta, quae laicis homiliam omnino interdicat. Et responsio illa vigorem habet legis.

Textus sequens erit:

«Facultatem praedicandi Ordinarius loci et Moderator instituti vitae consecratae concedat solis sacerdotibus aut diaconis; ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi certis in adiunctis necessitas id requiratur, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, salvo can. 19, § 1».

Can. 19 (novus)

§ 1. Inter praedicationis formas eminet homilia, quippe quae pars sit ipsius liturgiae; in eadem per annni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur.

§ 2. In omnibus Missis diebus dominicis et festis de praecepto, quae in ecclesia aut oratorio (publico vel semipublico), aut, servatis canonum praescriptis, sub dio, concurrente populo celebrantur, homilia habenda est nec omitti potest nisi gravi de causa.

§ 3. Valde commendatur ut, si sufficiens detur populi concursus, homilia habeatur etiam in Missis quae infra hebdomadam, praesertim quae tempore adventus aut quadragesimae aut quae occasione sive alicuius festi sive rei luctuosae celebrantur.

§ 4. Parochi aut ecclesiae vel oratoris rectoris est curare ut haec praescripta religiose serventur.

Ad § 1: Exc.mus tertius Consultor proponit ut post «homilia» dicatur «quae cum sit munus magisterii reservatum sacerdoti aut diacono», tamen Rev.mus Relator praefert ut tantum dicatur sacerdoti vel diacono reservari, quia munus magisterii ad diaconum non pertinet.

In fontibus responsio Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, de qua supra, citetur.

Textus § 1 sic erit: «Inter praedicationis formas eminet homilia, quae est pars ipsius liturgiae et sacerdoti aut diacono reservatur; in eadem per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur».

Ad §§ 2-3-4: Placet.

Can. 20 (CIC 1346)

Episcoporum Conferentiae est praeterea normas statuere de praedicationibus habendis tempore Quadragesimae vel Adventus, aut etiam aliis temporibus vel occasionibus, in quibus iuxta rerum adiuncta, id opportunum videatur.

Ex observatione Exc.mi Secretari, ne Episcopus dioecesanus nimis coarctetur in suo iure nativo neque «burocratiae» spatium praebeatur, loco «Episcoporum Conferentiae» dicatur «episcopi dioecesani».

Textus canonis cum emendatione proposita placet.

Can. 21 (novus + CIC 1347, § 1)

§ 1. Divini verbi praecones integrum Christi mysterium fidelibus proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia ipsius Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam.

§ 2. Edoceant etiam fideles doctrinam quam Ecclesiae magisterium proponit de personae humanae dignitate et libertate, deque officiis quibus personae obstringuntur familiae atque obligationibus quae ad homines in societatibus coniunctos pertinent.

§ 3. Ipsi ostendant quoque res terrestres et humana instituta secundum Dei consilium ad hominum salutem ordinari, ut res temporales, quibus arcte coniunguntur, illuminare et ordinare ita valeant ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem creatoris et redemptoris.

Ad § 1: Exc.mus tertius Consultor, claritatis causa, proponit ut dicatur «ipsum Christum ignorare», loco «ipsius Christi ignorantia est».

Placet.

Ad § 2: Placet, sed dicatur «Impertiant etiam fidelibus», loco «Edoceant etiam fideles».

Placet § 3.

Can. 22 (novus + CIC 1347, § 2)

Doctrinam christianam proponant modo auditorum conditioni accommodato atque ratione temporum necessitatibus aptata, simul curantes ut quaestionibus quibus maxime anguntur homines sui temporis respondeant atque in difficultatibus quibus premuntur superandis eos sustineant.

Placet: in fontibus adiungatur referentia ad *Gaudium et Spes*...

Can. 23 (CIC 1349)

Parochi, etiam religiosi, certis temporibus, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, illas ordinent praedicationes, quas exercitia spiritualia missionesve vocant, quibus nempe integra christiana doctrina quantum possibile sit fidelibus exponatur.

Ex proposizione Exc.mi secundi Consultoris in textu, loco «integra christiana doctrina...», dicitur «praecipuae christianae doctrinae veritates... exponantur», ita ut canon sic erit:

«Parochi, etiam sodales instituti vitae consecratae, certis temporibus, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, illas ordinent praedicationes, quas exercitia spiritualia missionesve vocant, quibus nempe praecipuae christianae doctrinae veritates fidelibus exponantur».

Can. 24 (novus + CIC 1350, § 1)

§ 1. Curent sacri ministri, praesertim Episcopi et parochi, ut Dei verbum iis quoque nuntietur qui ob vitae suae condicionem communi et ordinaria cura pastoralis non satis fruuntur aut eadem penitus carent.

§ 2. Provideant quoque ut Evangelii nuntium perveniat ad non credentes in territorio degentes, quippe quos, non secus ac fideles, animarum cura, quae semper spiritu missionali informetur oportet, complecti debeat.

Ad § 1: Placet, sed loco «Curent» dicatur «Solliciti sint», quia, ex animadversione Rev.mi quarti Consultoris, cura proprius et formaliter ad Episcopos et Parochos pertinet et non ad omnes sacerdotes: ceteroquin res quae omnium curae assignatur, idem est ac si nemini committeretur.

Ad § 2: Placet.

Caput II: DE CATECHETICA INSTITUTIONE

Can. 25 (novus + CIC 1329)

Proprium et gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est cateheticam populi christiani curare institutionem, ut fidelium fides, per doctrinam illustrata, viva sit atque explicita et operosa.

Exc.mus tertius Consultor proponit sequentem ordinem verborum «Proprium, praesertim et gravissimum officium est pastorum...», sed non insistit et canon probatur uti iacet.

Can. 26 (novus)

Episcoporum Conferentiae, votis suis cum Apostolica Sede communicatis, est pro suo cuiusque territorio normas in Directorio catechetico statuere fundamentales (praecipuas) ad cateheticam puerorum, iuvenum atque adultorum institutionem ordinandam, itemque curare ut libri ad eandem institutionem spectantes rite elaborentur.

Facta disceptatione atque proponente Exc.mo primo Consultore, textus hic erit:

«§ 1. Servatis normis ab Apostolica Sede praescriptis atque votis suis cum eadem Apostolica Sede communicatis, Episcoporum Conferentiae est, pro suo cuiusque territorio, normas de re catechetica edicere, curare ut Directorium, catechismi aliaque catechesis instrumenta rite elaborentur et divulgentur necnon operam impendere ut incepta catechistica apte foveantur et coordinentur.

§ 2. Apud Episcoporum Conferentiam instituatur, sub ductu Commissionis pro catechesi, Officium catechisticum, cuius praecipuum munus sit prospicere universae nationis vel regionis ecclesiasticae necessitatibus».

Can. 27 (novus)

Servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopus dioecesanus insuper praescripta edicere tenetur, quae ad populum in doctrina christiana instituendum spectant; quae quidem praescripta omnes servare obligantur, religiosi quoque, etiam exempti, quoties ad non exemptos docendos operam praestant.

Exc.mus primus Consultor instat ut etiam in paroeciis et aliis centrīs eiusdem generis centrum catechisticum habeatur sicut factum est in cano-

ne praecedenti pro officio catechistico nationali, vel regionali, ideoque alia paragraphus adiungatur oportet quae hoc praecipiat.

Post disceptationem, textus sequens erit:

« § 1. Servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopus dioecesanus insuper praescripta edicere tenetur, quae ad populum in doctrina christiana instituendum spectant; quae quidem praescripta omnes servare obligantur, sodales quoque Institutorum vitae consecratae, etiam exempti.

§ 2. In singulis dioecesibus Officium catechisticum habeatur ».

Can. 28 (CIC 1333 et 1334)

§ 1. Parochus, vi muneris sui, religiosam institutionem puerorum, iuvenum et adultorum curare tenetur, et in hoc munere explendo operam adhibere debet clericorum in paroecia degentium, imprimis presbyterorum et diaconorum, religiosorum atque etiam laicorum, virorum ac mulierum, illorum potissimum qui alicui Instituto saeculari aut pio doctrinae christinae sodalitis sunt adscripti.

§ 2. Presbyteri, diaconi alique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio paroco in hoc sanctissimo opere auxilium praestare tenentur.

§ 3. Religiosi quoque, viri ac mulieres, itemque qui Instituto saeculari adscripti sunt, ad catechetica institutionem populo tradendam libenti animo cooperari debent; Superiores religiosi, etiam exempti, et rectores Institutorum saecularium, tenentur per se vel per suos subditos populo christiano catechetica institutionem tradere.

§ 4. Alii etiam fideles, viri ac mulieres, sufficienti doctrina qui praediti sunt, libenter ad hanc institutionem curandam adiutricem operam praestent.

Ad § 1: textus qui probatur sequens est: « Parochus... adhibere debet presbyterorum ac diaconorum in paroecia degentium, sodalium instituti vitae consecratae atque etiam laicorum, virorum ac mulierum ».

Ad § 2: Placet, mutatis tamen verbis « Presbyteri, diaconi alique clerici », cum « Presbyteri atque diaconi ».

Ad § 3: Textus hoc modo modificatur: « Sodales instituti vitae consecratae quoque, viri ac mulieres, ad catechetica... debent; Moderatores institutorum vitae consecratae, etiam exempti, tenentur per se vel per suos sodales populo... ».

Placet § 4, sed post « sufficienti » adiungatur « et certa ».

Can. 29 (novus + CIC 1335)

Parentes, quippe qui praecipui filiorum sint educatores, itemque qui eorum locum tenent atque patrini obligatione tenentur curandi ut pueri sibi subiecti vel commendati catechetica institutione debite erudiantur.

Placet.

Can. 30 (CIC 1330, 1331, 1336)

Attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani est de catechetica institutione tradenda:

1° normas statuere ut pueri ad sacramenta poenitentiae et confirmationis suscipienda utque ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparentur;

2° praescripta item statuere ut iuvenes qui primam Communionem receperint uberius ac perfectius in doctrina christiana excolantur;

3° normas etiam edere ut, ratione eorum condicioni accommodata, provideatur catecheticae institutioni adultorum, et in specie ut qui nuptias ineundas intendunt in doctrina de matrimonii sanctitate deque coniugum et parentum obligationibus debite erudiantur.

Placet.

Can. 31 (novus)

Institutio catechetica innitatur oportet S. Scriptura, Traditione, Liturgia, Magisterio vitae Ecclesiae, et tradatur omnibus adhibitis auxiliis, subsidiis didacticis et communicationis mediis, quae efficaciora videntur ut fideles, ratione eorum indoli, facultatibus et aetati necnon vitae conditionibus aptata, plenius religionis doctrinam ediscere eamque aptius in praxim deducere valeant.

Placet, tamen ex Rev.mi quinti Consultoris propositione, loco «mediis» dicitur «instrumentis», qui etiam proposuerat ut mentio de instrumentis communicationis, didacticis subsidis anteponeretur, quae tamen propositio probata non fuit, quia hic agitur de institutione, ideoque locum princeps media didactica obtinent (Relator).

Can. 32 (novus)

Curent locorum Ordinarii ut qui ad catecheticae institutionem tradendam mittantur, ad munus suum rite explendum debite praeparentur,

ut nempe Ecclesiae doctrinam apte cognoscant atque normas scientiae psychologicae et disciplinis paedagogicis proprias theoretice ac practice addiscant.

Placet.

Caput III: DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Can. 1 (novus)

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem propriaeque indoli consentaneam, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam, qua quidem ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur atque insimul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

Placet.

Can. 2 (novus)

§ 1. Parentes, cum vitam filiis contulerint, necnon qui eorum locum tenent, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum est etiam educationem christianam filiorum curare.

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familiae ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum, curare, qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat.

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere quorum opera filiorum formationi providere valeant, idoque et ea eligere media et instituta, quibus, iuxta locorum adiuncta et attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, filiorum educationi christiana aptius prospicere queant.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competat fruendi subsidiis quibus in educatione filiorum propriae conscientiae consentanea procuranda indigent, parentibus christianis etiam ius est iis gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eis formatio tradatur christiana harmonico gressu cum profana progrediens.

Placet.

Can. 3 (novus)

§ 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi omnesque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles, praeprimis iuvenes, fruantur.

Placet.

Can. 4 (novus)

Ecclesiae est adiutricem suam operam praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quippe quae ad commune omnium patrimonium pertineant, et ita insimul Ecclesia omnibus populis adiutorium praestat ad promovendam integram personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestres provehendum atque humanius hunc mundum aedificandum; immo, speciali ratione ipsi officium est ut, quantum id requirant adiuncta, formationi operam det in disciplinis terrenis, quatenus nempe cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint.

Placet.

Can. 5 (novus)

§ 1. Cum vera educatio integram persequi debeat personae humanae formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet, pueri et adulescentes ita excolantur oportet ut suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant, perfectiorem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant et ad vitam socialem active participandam conformentur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua iuvenes formantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nedum eorundem educationi christiana obstat, eidem quam maxime faveant, utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint.

Placet, sed in § 1, loco «adulescentes» dicatur «iuvenes».

Art. 1: *De scholis**Can. 6* (novus)

§ 1. Inter media ad excolendam educationem christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis implendo praecipuo auxilio sunt.

§ 2. Cum magistris scholarum, quibus filios educandos concredant, parentes arcte cooperentur oportet, eos sua fiducia omnique ope sustentantes; qui vero magistri, sive clerici vel religiosi sive laici, eximio muneri iuvenes educandi in scholis se devovent, cum, ad bonum quidem societatis insimul dum adlaborant, locum teneant parentum, in officio suo persolvendo intime collaborent cum parentibus, qui quidem libenter audiendi sunt quorumque consociationes vel conventus instaurentur atque magni existimentur.

Placet.

Can. 7 (novus)

Parentes, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles sollicit esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscatur.

Exc.mus tertius Consultor animadvertit quae in hoc canone dicuntur, iam in can. 2, § 3 contineri. Respondet Rev.mus Relator in can. 2 rem multo latius affirmari quam in hoc canone, qui de scholis tantummodo agit. Parentum libertatis principium in scholis pro filiis eligendis gravissimum est, et aliqua repetitio videtur fere necessaria vel saltem non inopportuna.

Placet textus.

Can. 8 (novus)

§ 1. Parentes, quantum id sinant adiuncta, filios concredant illis scholis quae uti reapse catholicae a Hierarchia sint agnitate; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianae providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse.

§ 2. In casibus in quibus filios scholis de quibus in § 1 concredere non possint, ipsi parentes obligatione tenentur curandi, ut extra scholas debitae eorundem educationi christianae prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica competenti latas.

§ 3. Episcoporum Conferentiae, atque, eiusdem praescriptis attentis, Episcopo dioecesano competit normas edicere, territorii sui condicionibus aptatas, quibus officia definiantur parentum quibus, certis in adiunctis, filios scholis non catholicis concredere licet.

Placet.

Can. 9 (novus)

Christifideles omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuvenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali quoque, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant.

Placet.

Can. 10 (CIC 1375)

Ecclesiae ius est scholas cuiusve disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates, condendi.

Placet: corrigatur « cuiusve » cum « cuiusvis ».

Can. 11 (novus + CIC 1379)

§ 1. Si praesto non sint, quae ab incoeptis privatorum aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcopi dioecesani est curare ut condantur.

§ 2. Ubi id expediat, Episcopi dioecesani est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut illae condantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adiunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas professionali et technicas nuncupant.

Placet.

Can. 12 (novus)

§ 1. Curent scholarum catholicarum moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentia et loci Ordinarius ut institutio quae in iisdem

traditur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans.

§ 2. Loci Ordinarius sollicitus quoque sit scholarum non catholicarum sui territorii, curans praesertim ut qui ad religionis institutionem in iisdem deputentur magistri, zelo, doctrina et arte paedagogica sint praestantes.

Can. 13 (novus)

§ 1. Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuventutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiae, et loci Ordinarii est eandem ordinare atque in eandem invigilare.

§ 2. Loci Ordinario competit ius invigilandi et invisendi scholas catholicas in suo territorio sitas, etiam eas quae a religiosis conditae sint et dirigantur; eidem item competit praescripta edere quae ad generalem attinent ordinationem scholarum catholicarum; quae praescripta valent de scholis quoque quae a religiosis, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia.

§ 3. Episcoporum Conferentiae atque loci Ordinario competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationemve christianam populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur.

Placet.

Can. 14 (CIC 1381, § 3)

§ 1. Episcoporum Conferentiae pro scholis interdioecesanis sui territorii, loci Ordinario pro sua dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut removeantur.

§ 3. In institutione religiosa tradenda servantur praescripta statuta in Directorio totius Ecclesiae et in directorio alicui regioni proprio.

Placet, tamen in § 1, ante verbum « loci » particula « et » adiungatur.

Canon 15 (novus)

Curent Episcopi dioecesani singularum regionum ecclesiasticarum, consiliis quidem inter se atque cum Episcopis dioecesanis aliarum etiam regionum initis, ut de re scholastica communis quantum fieri possit adhibeatur agendi ratio, utque inter scholas diversarum regionum apta foveatur coordinatio atque, quatenus id sinant adiuncta, etiam collaboratio.

Placet.

*Art. 2: De studiorum superiorum Institutis**Can. 16 (novus)*

Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur disciplinae scientificae, quippe quae, ad altiore hominum culturam cum conferant, bono eorum spirituali quoque proficiant, quaeque praeterea, ad profundiorum rerum cognitionem cum adlaborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant.

Exc.mi secundus et tertius Consultores postulant ut post «excoluntur» adiungatur «et traduntur». Et Exc.mus secundus proponit ut post «cognoscendam» inserantur verba «aptiusque proponendam» (cf. etiam quae de can. 20 dicuntur).

Post disputationem tantum prima propositio probatur.

Placet textus cum additione «et traduntur».

Canon 17 (novus + CIC 1376)

Nulla studiorum Universitas nomen «Universitatis catholicae» gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen «Universitas catholica» ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia concessum sit.

Placet.

Can. 18 (novus)

Ubi, attentis omnibus adiunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae curent ut habeantur Universitates in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendo studio.

Exc.mus secundus Consultor postulat ut post «curent ut» adiungantur verba «in ipsarum territorio apte distributae» et omnes consentiunt. Idem Exc.mus Vir proponit ut alia adiungatur canoni paragraphus cuius textus est: «Universitas Catholica, et qua institutio et qua communitas, finibus Universitatis qua talis inspirationem lumenque Revelationis christianae addit, necnon fidelitatem erga Christi nuntium quatenus ab Ecclesia transmissum sibi assumit».

Rev.mus Relator tenet paragraphum non necessariam esse, quia normam in ea non contineri, sed tantum aliquam theoreticam affirmationem.

Replicat Exc.mus Vir formam quidem declarativam esse, tamen realiter in ea normam contineri, quia affirmatur quod Universitas Catholica, suapte natura, fines indicatos persequi debet et non tantum quia professores ibi docent ut boni christifideles.

Exc.mi Secretarius et primus Consultor concordant de re in seipsa, quia magni momenti est, et naturam Catholicae Universitatis respicit, disputant tamen de loco ubi ponenda sit.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «habeantur Universitates quae ex sua institutione nituntur doctrina catholica et in quibus variae disciplinae...».

Post disputationem Rev.mus Relator sequentem textum proponit: «studio atque ratio habeatur veritatis revelatae, uti ab Ecclesiae magisterio declaratur».

Sacra Congregatio pro Educatione Catholica in suis animadversionibus et suggestionibus circa hoc schema, quae Exc.mus secundus Consultor proponit, haec habet:

«Occorre dichiarare in un apposito canone la presenza nativa del Magistero Ecclesiastico nell'Università Cattolica, affinché la sua opera non sia considerata come una sopraffazione o un'intrusione; ciò specialmente per quanto riguarda la «missio canonica docendi»:

§ 1. Ordinarii locorum ac Conferentiae Episcopales, sui officii munerisque conscii, sedulo invigilent quo aptius fideliusque nota catholica suarum Universitatum Catholicarum integra servetur. In iis enim Ordinarium locorum praesentia doctrinalis et pastoralis ab intrinseco manat, cum ipsi ex expressa Christi voluntate tutores sint et germani interpretes fidei catholicae. Ut autem sua iura et officia erga Universitates Catholicas exercere valeant, idoneis subsidiis iuridicis polleant oportet.

§ 2. Quae Ordinarium locorum praesentia theologicas disciplinas, quippe quae sunt scientiae fidei, praeprimis spectat. Proinde theologus, ut docens et investigator, in luce fidei et in communione Ecclesiae operari tenetur, persuasus tum theologiam non ab extrinseco fidem et Magisterium

respicere tum quamlibet disciplinam theologicam quae a fide et a Magisterio abstraheret procul dubio suam theologiae catholicae naturam amittere. Quare quilibet docens scientiarum sacrarum missione canonica docendi indiget».

Rev.mus Relator sententiam tenet missionem canonicam docendi tantum valere pro Universitatibus Ecclesiasticis sed non catholicis.

Respondet Exc.mus secundus Consultor non tantum de missione canonica agi, quam etiam de Episcoporum vigilantia.

Exc.mus tertius Consultor, ex eo quod Universitates vocentur catholicae, aliquam debent dicere relationem ad Hierarchiam ecclesiasticam.

Exc.mus Secretarius tenet aliquam normam sensu a S. Congregatione indicato componendam esse. In Universitatibus iam exsistentibus res a statutis iam regulatur et oportet ut habeatur etiam pro Universitatibus noviter erigendis.

Exc.mus Vir insuper tenet bonum esse ut aliquid adiungatur ut exigentia fidelitatis erga orthodoxiam et Sedem Apostolicam affirmetur.

Rev.mus Relator sequentem textum proponit: «Episcoporum Conferentia aut Episcopi dioecesani, quorum interest, solliciti sint ut in Universitate catholica fideliter principia doctrinae christianae serventur». Placet.

Textus itaque totius canonis 18 est:

«§ 1. Ubi, attentis omnibus adiunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae curent ut habeantur Universitates, in ipsarum territorio apte distributae, in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendo studio atque ratio habeatur veritatis revelatae, prout ab Ecclesiae Magisterio declaratur.

§ 2. Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani quorum interest solliciti sint ut in Universitate catholica fideliter principia doctrinae christianae serventur».

Aliam Exc.mus secundus Consultor proponit suggestionem ex parte Sacrae Congregationis:

« Senza affermare che il Gran Cancelliere è obbligatorio quando si tratta di Università Cattoliche canonicamente erette, è tuttavia necessario precisar le sue competenze nei riguardi dell'Università e dell'Ordinario del luogo quando quest'ultimo non sia egli stesso il Gran Cancelliere:

§ 1. Ordinarius loci tuta sartaque retinet sua officia et iura, quamvis ei

non sit munus Magni Cancellarii Universitatis Catholicae. Quod si Universitatis Magnus Cancellarius sit alius ab Ordinario loci, iura atque officia Ordinarii a Magno Cancellario intra Universitatem explentur, semper initis consiliis in rebus maioris momenti cum eodem Ordinario.

§ 2. Ordinarii loci est, salvo praescripto § 1, academica semper servata libertate, in Universitate Catholica suae Dioecesis fidei orthodoxiam, bonos mores atque ecclesiasticam disciplinam vigilanter tutari, necnon missionem canonicam docendi omnimodis magistris sacrarum disciplinarum concedere et pro necessitate auferre ».

Ad hanc propositionem quod attinet, Rev.mus Relator tenet Universitatem dioecesis campum excedere et plures regiones respicere, quapropter non convenit ut loci Ordinarius iura particularia in Universitate concedantur.

Replicat Exc.mus secundus Consultor loci Ordinarium quoddam ius nativum in Universitate, quae in territorio suae ditionis est, habere.

Instat Rev.mus Relator rem ex Universitatis statutis pendere.

Exc.mus secundus Consultor non insistit et propositio cadit.

Can. 19 (novus)

Ut theologica inquisitio arctius cum quaestionibus cuique tempori propriis connectatur atque hominibus variarum disciplinarum excultoribus ad pleniorum fidei quoque scientiam universalioremque ordinis creati cognitionem auxilio esse valeat, curent Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expediat et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem cathedra S. Theologiae, in qua lectiones pro laicis quoque tradantur.

Rev.mus Relator proponit ut in alia § dicatur theologiae professores missione canonica, ab Apostolica Sede concessa, indigere.

Exc.mus secundus Consultor animadvertit quod etiam Ordinarius missionem canonicam concedere potest.

Exc.mus Secretarius proponit « a competenti auctoritate ecclesiastica ».

Exc.mus primus Consultor praefert ut tantum dicatur « professores missione canonica indigent ». Quod placet etiam aliis.

Exc.mus secundus Consultor suggestionem S. Congregationis proponit:

« Affinché non si rischi, nonostante la presenza di una Facoltà Teologica o almeno di una Cattedra di Teologia, di tascare la formazione religiosa cattolica degli studenti, si aggiunga al termine del testo:

« Studentium institutio religiosa catholica durante studiorum curriculo aptis lectionibus in tuto ponatur ».

Propositio seu idea ab omnibus accipitur, tamen Rev.mus Relator sequentem redigit textum: « In singulis facultatibus Universitatis catholicae lectiones habeantur in quibus eae praecipue tractentur quaestiones theologicae quae cum disciplinis earundem facultatum sunt conexas ».

In fine disceptationis textus canonis sic sonat:

« § 1. Ut theologica inquisitio arctius cum quaestionibus cuique tempori propriis conectatur atque hominibus variarum disciplinarum exultoribus ad pleniorum fidei quoque scientiam universaliorumque ordinis creati cognitionem auxilio esse valeat, curent Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expediat et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae tradantur.

§ 2. In singulis Facultatibus Universitatis catholicae lectiones habeantur in quibus eae praecipue tractentur quaestiones theologicae quae cum disciplinis earundem Facultatum sunt conexas.

§ 3. Qui in Universitatibus de quibus in §§ 1 et 2 lectiones tradunt theologicas missione egent canonica » (cf. Conc. Vat. II, Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. *Gaudium et spes*, n. 57).

Can. 20 (novus)

In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ad mentem Ecclesiae erectae sint, solliciti sint Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur, atque adeo etiam altius perspicere possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent.

S. Congregatio pro Educatione Catholica ad hunc canonem sequentem habet propositionem:

« L'attuale testo del canone formi il § 1 e gli si faccia seguire un § 2, così concepito:

« § 2. Omnibus Universitatibus et Facultatibus Catholicis officium incumbit illam cognitionum integrationem promovendi, in qua aptius visio atque efformatio integralis personae humanae excolantur omnesque valores a Deo creatore et a Christo salvatore manantes extollantur » (cf. Const. *Gaudium et spes*, n. 61).

Ad canonem quo attinet, Exc.mus Secretarius tenet eum necessarium non esse, quia res est quae per se patet, uti dicit. Concordant alii ut haec § non addatur.

Ad propositionem S. Congregationis omnes conveniunt ut can. 16 hisce verbis compleatur: « ... hominum culturam *necnon ad personae humanae integram promotionem* cum conferant... ».

Can. 21 (novus)

Curent earumdem Universitatum moderatores et professores ut variae universitatis Facultates sibi inter se praestent operam, atque amplam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando eosque promovendo, in scientificis pervestigationibus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo.

S. Congregatio pro Educatione Catholica haec suggerit: « Far precedere 'in conventibus internationalibus' da un 'etiam', per indicare che gli esempi di collaborazione qui adottati non sono esaustivi ».

Re tamen considerata, non accipitur et ideo textus probatur uti iacet.

Can. 22 (novus)

Provideant Episcoporum Conferentia regionis atque loci Ordinarius ut christifidelibus adultis quoque praebeatur possibilitas ad profundiores in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, cendantur scholae superiores vel academiae scientiarum religiosarum, in quibus nempe doceantur disciplinae theologicae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent.

Placet.

Can. 23 (novus)

Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad pleniores veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius diffundatur et ab hominibus reapse recipiatur.

Textus placet, tamen cum potius canones generales respiciat, ex propositione Exc.mi Secretari transfertur post canonem 4.

Art. 3: *De Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum**Can. 24 (novus)*

§ 1. Ecclesia, vi muneris sui veritatem revelatam docendi, fovet Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum, quae scilicet fines persequuntur ea quae ad disciplinas sacras vel cum sacris connexas pertinent pervestigandi, atque alumnos in iisdem disciplinis scientificè instituendi.

§ 2. Cultus ac promotio scientiarum ecclesiasticarum scientifico prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianae plenius aperiatur, quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur atque dialogus etiam cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non credentibus foveatur.

§ 3. Quo altior ipsis scientifica tradatur formatio, instituantur alumni praecipue in directa fontium cognitione, in investigationibus aliorumque laborum scientificorum usu, atque edoceantur in conclusionibus ad synthesim redigendis, ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant.

Placet § 1.

Placet § 2, tamen proponitur ut verba «atque dialogus... foveatur» deleantur, utpote non necessaria. Propositio haec valde discussa est et res neque per suffragium solvitur, quia habetur paritas suffragiorum.

Ad. § 3: S. Congregatio pro Educatione Catholica suggerit ut «Dopo 'habiles fiant' qui è meglio aggiungere: 'errori detegant ac profligent et', essendo anche questo uno scopo della formazione nelle scienze ecclesiastiche».

Suggestio tamen non acceptatur, et textus probatur uti est.

Can. 25 (novus + CIC 1376)

§ 1. Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum constitui tantum possunt erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab eadem concessa.

§ 2. Singulae Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum, etiam quae sub moderamine sunt cuiuslibet instituti religiosi vel saecularis, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata.

Sacra Congregatio pro Educatione Catholica quae sequuntur proponit: « § 1: Tra le Autorità della Chiesa la sola Santa Sede può erigere Università o Facoltà di studi ecclesiastici. Quando però una Facoltà di tali studi viene eretta con intese concordatarie in una Università di Stato, allora può bastare la sola esplicita approvazione da parte della Santa Sede. Si specifichi quindi dopo 'facta' (riga 2):

'Aut, ubi agatur de Facultatibus in Universitate Status erectis, explicita approbatione ab eadem concessa'.

Ad § 2: Si aggiunga dopo 'religiosi vel saecularis': 'academica reguntur Ecclesiae lege et'. Infatti gli studi ecclesiastici a livello accademico debbono essere regolati secondo criteri universali; il che non può essere fatto che dalla Santa Sede.

Si aggiunga un nuovo paragrafo per richiamare i diritti e doveri dell'Ordinario del luogo circa l'ortodossia e la 'missio canonica docendi' specialmente nei confronti di queste Università e Facoltà di studi ecclesiastici. Esso potrebbe essere così concepito:

Ad § 3: Quae de iuribus officiisque Ordinariorum locorum edicta sunt in cann. 18 bis et 18 ter ad Universitates Facultatesque Catholicas quod attinet, potiore iure de Universitatibus Facultatibusque studiorum ecclesiasticorum praescripta habenda sunt».

Sacrae Congregationis propositiones non acceptantur et canon probatur prouti iacet, mutato tantum, in § 2, «religiosi vel saecularis» cum «vitae consecratae».

Exc.mus secundus Consultor vult quod in actis referatur se contrarium esse redactioni huius canonis textus; aut saltem in § 1 dicatur «aut approbatione formali ab eadem concessa». In hoc insistit Exc.mus Vir quia Universitatis erectio semper ab Apostolica Sede debet provenire.

Contradicit Rev.mus Relator, qui tenet Universitatis erectionem etiam, ex. gr., a Conferentia Episcoporum provenire posse etsi talis non existit nisi Sanctae Sedis approbatio accedat.

Distinctionem inter erectionem et approbationem subtilem quaestionem esse — dicit Exc.mus primus Consultor —, qui tenet Universitatem catholicam non dari nisi Sanctae Sedis approbatione accedente.

Exc.mus Secretarius animadvertit quod Sancta Sedes orthodoxiam et serium scientificum in tuto collocare debet, quapropter sibi erectionem reservat. Tunc si modo vel forma subsidiaria orthodoxia et serium scientificum pariter in tuto collocantur, sufficere potest S. Sedis approbatio.

In fine disceptationis textus canonis remanet prouti iacet.

Can. 26 (novus)

Quo Universitates Facultatesve studiorum ecclesiasticorum valore scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta ratione distribuuntur, iudicium de earundem erectionis opportunitate competit si-ve Apostolicae Sedi, audita Episcoporum Conferentia cuius interest, si-ve ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apostolica Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 25, earundem erectionem approbare.

Haec a S. Congregatione pro Educatione catholica suggesta sunt:

«È stato affermato nel can. 25 che nessuna Autorità Ecclesiastica al di fuori della S. Sede può erigere Università o Facoltà di studi ecclesiastici; non se ne può dunque dare qui il potere alle Conferenze Episcopali? Si ponga, quindi, dopo 'cuius praeterea est' (ultima riga): 'easdem erigere, salvo equidem can. 25', cassando le altre parole».

Proposita suggestio non accipitur.

Exc.mus secundus Consultor instat uti pro priori canone, sed textus remanet uti iacet.

Can. 27 (CIC 1377)

Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate a Sancta Sede concessa.

Sacra Congregatio pro Educatione Catholica proponit: «L'attuale testo diventi il § 1, seguito da un § 2 così concepito: 'Ad disciplinas ecclesiasticas in Seminariis Scholasticatibusque, et a fortiori in quibuslibet Facultatibus studiorum ecclesiasticorum, docendas, requiritur ut gradus academici, qui in docentibus praescribuntur, ab aliqua Facultate canonice erecta collati sint'».

Ciò per evitare insegnamenti non conformi alla mente del Magistero Ecclesiastico».

Propositio tamen non accipitur et textus remanet prouti est.

Can. 28 (novus)

Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum suam habeant studiorum rationem, quae determinatur ab Apostolica Sede et, servatis quidem normis ab eadem editis, ab auctoritate ad quam, secundum earum statuta, suprema hac de re in iisdem Universitatibus Facultatibusve ordinatio spectat.

Placet. Tamen alia § adiungitur, quae sic sonat: «§ 2. Quae de studiorum superiorum Institutis in can. 18, § 2 statuuntur praescripta, de Universitatibus Facultatibusque studiorum ecclesiasticorum quoque valent».

Haec praecise adiungitur ad fidelitatis exigentiam firmandam erga orthodoxiam et Sedem Apostolicam.

Can. 29 (novus)

§ 1. Quatenus dioecesis aut Instituti religiosi vel saecularis, regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii aut Institutorum Superiores competentes ad Universitares Facultatesve studiorum ecclesiasticorum mittere clericos et sodales indole, virtute et ingenio praestantes.

§ 2. Ordinariorum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sint, qui in Universitatibus Facultatibusve studiis incumbunt; eorundem Ordinariorum, sicut et Universitatum Facultatumve moderatorum et professorum est alumnorum formationi pastoralis quoque prospicere.

Placet totus canon cum emendationibus quae sequuntur: § 1. loco «religiosi vel saecularis» dicatur «vitae consecratae»; post «Ordinarii» adiungatur «locorum»; post «mittere» inseratur «iuvenes et».

§ 2. post «spirituali», loco «clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sint» dicatur «iuvenum qui aspirant ad diaconatum vel ad sacerdotium».

Can. 30 (novus)

Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam, utque propriam Universitarem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent.

Placet.

Caput IV: DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Can. 1 (CIC 1352)

Ecclesiae officium est atque ius proprium et exclusivum eos instituendi qui, ut ad ministeria ecclesiastica deputentur, se praeparent.

Placet.

Can. 2 (novus)

Auctoritates quae de clericorum institutione normas edant competentes sunt S. Sedes atque, ad institutionem clericorum dioecesanorum quod attinet, Episcoporum Conferentiae regionis et districtus regionalis necnon Episcopi dioecesani, ad normam canonum qui sequuntur, ad institutionem clericorum in Institutis necnon Societatibus clericorum, quibus ius incardinandi competit, quod spectat, eorum Superiores, ad normam iuris et Constitutionum.

Placet.

Can. 3 (novus CIC 1353)

§ 1. Universae communitati christianae officium incumbit fovendarum vocationum, ut necessitatibus ministeriorum in tota Ecclesia sufficienter provideatur; in specie:

1° ipsi parentes christiani curent ut familiae suae ambitus spiritu fidei, caritatis et pietatis animatus sit, in quo germina vocationis oriri possint ac sustententur;

2° magistri atque omnes qui in puerorum iuvenumque institutione aliquam partem habent, praecipue Consociationes iuvenum catholicae, educationis rationem instituant quae apta sit etiam ad vocationes suscitandas et excolendas;

3° peculiari ratione sacerdotes, prae caeteris parochi, recta doctrina, zelo apostolico ac propria vita sacerdotali laeto animo peracta, adolescentibus eximium vitae ministerialis valorem ostendant, atque debita cum prudentia semper ad vocationes sacerdotales suscitandas, easque, si quas percipere existiment, fovendas, operam dent;

4° Episcopi, quorum maxime est de vocationibus provehendis curam habere, populum sibi commissum de momento ministerii sacri deque ministrorum in Ecclesia necessitate edoceant, incoepta ad vocationes fovendas, opera praesertim ad hoc instituta, suscitent, sustentet ac, consiliis etiam initis cum aliis Episcopis necnon Superioribus Religiosis, coordinent, atque quos ad divina ministeria vocatos iudicaverint omni ope adiuvent.

§ 2. Solliciti sint etiam sacerdotes, praesertim vero Episcopi, ut qui maturioris aetatis viri ad ministeria divina sese vocatos aestiment, prudenter verbo opereque adiuventur ac debite praeparentur.

Placet, mutato tamen, in § 1, lin. 2 « ministeriorum » cum « ministerii ».

Can. 4 (novus CIC 1354)

§ 1. Prout id sinant locorum adiuncta, servantur ubi existunt Seminaria minora aliave instituta id genus, in quibus nempe, vocationum fovendarum gratia, provideatur ut peculiaris formatio religiosa una cum institutione humanistica et scientifica tradatur; immo ubi id expedire iudicaverit Episcopus dioecesanus, Seminarii minoris similisve instituti erectioni prospiciat.

§ 2. In Seminariis minoribus similibusque institutis, ubi exsistent, si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat, admitti possunt iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment.

§ 3. Nisi certis in casibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, adiuncta aliud suadeant, iuvenes quibus animus est ut ad sacerdotium admittantur, ea ornentur humanistica et scientifica formatione, qua iuvenes in sua cuiusque regione ad studia superiora peragenda praeparentur; semper ea saltem studia peragant oportet quae ipsis, si ad alium vitae statum dein animum verterint, proficiant.

Ad § 1: post « existunt » adiungatur « atque foveantur ».

Ad § 2: Exc.mus Secretarius praeferret ut supprimeretur.

Rev.mus Onclin, e contra, tenet § 2 servari posse quia iudicium de iuvenum admissione Episcoporum Conferentiis relinquitur.

Replicat Exc.mus Secretarius Conferentias Episcoporum admissiones decernere posse etiamsi in Codice praevisum non sit.

Exc.mus Secundus Consultor proponit quae in animadversionibus Sacrae Congregationis pro Educatione Catholica quoad hanc paragraphum continentur:

« Ammettere positivamente, anche se con il benessere della Conferenza Episcopale, la possibilità di ospitare nel Seminario Minore anche alunni che non aspirano al sacerdozio, significa alterare la natura propria di tali Istituti.

A tale proposito sarebbe meglio formulare prima chiaramente il principio di rispettare la natura propria del Seminario Minore, e, poi, segnalare quell'altra eventualità concernente i giovani non aspiranti al sacerdozio soltanto come eccezione da autorizzare dalla Conferenza Episcopale.

Cf. per es.: 'Seminaria Minora' natura sua destinata sunt ad iuvenes excipiendos qui signa vocationis sacerdotalis praebent vel saltem eandem positive non excludunt; nonnisi gravi de causa et iudicio Episcoporum Conferentiae admitti possunt etiam iuvenes virtute quidem praestantes, sed ad sacra ministeria non adspirantes ».

Post disceptationem Consultorum maioritas praeoptat ut textus servetur prouti iacet.

Placet § 3.

Can. 5 (CIC 1354)

§ 1. Adolescentes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiori, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per tres vel quattuor saltem annos.

§ 2. Extra Seminarium solummodo eandem formationem recipere possunt, ubi personarum vel temporum adiuncta id requirant, in casibus peculiaribus ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinatis.

§ 3. Qui extra Seminarium legitime morantur, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur; curet etiam Ordinarius ut omnes qui ad sacra ministeria se praeparent illam inter se consuetudinem habeant, qua fraterna inter eos habitudo quam maxime foveatur.

Disceptationi submittitur propositio Sacrae Congregationis pro Educatione Catholica, quae haec habet:

« Si suggerisce di sostituire il testo proposto — anche in deroga a quanto precedentemente indicato dalla S.C. per l'Educazione Cattolica — con il seguente:

‘Juvenes, qui, studiis mediis peractis, ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiore, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per quattuor vel tres saltem annos’.

Motivo: la formula proposta dalla Pontificia Commissione non è del tutto chiara in quanto potrebbe includere anche gli alunni del Seminario minore, come si può ben rilevare confrontando la stessa con il can. 972 CIC: ‘Curandum est ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum, nisi...’.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut in ista paragrapho particulae «sive ... sive» tollantur et textus remaneret: «... in Seminario maiori, per totum formationis tempus, si de iudicio Episcoporum Conferentiae...».

Suggestionibus propositis disceptatis, convenitur ut textus remaneat sicuti est, salvis sequentibus emendationibus: dicatur «Iuvenes» loco «Adolescentes» (in § 1); post «sive, si» adiungatur «exceptionis gratia»; et loco «per tres vel quattuor saltem annos» dicatur «per quattuor vel saltem per tres annos».

Ad § 2: Considerata fuit propositio S. Congregationis pro Educatione Catholica, quae sic sonat:

«Anche qui per sottolineare il carattere eccezionale della formazione fuori del Seminario, bisognerebbe sostituire l'autorizzazione positiva ('eandem formationem recipere possunt') con una formulazione più restrittiva, come per es.: 'Extra Seminarium sacerdotalis formatio haberi non potest, nisi in certis personarum vel temporum adiunctis, ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae probe perpendendis'».

Placet tamen textus prouti iacet.

Ad § 3: S. Congregatio pro Educatione Catholica haec in suis observationibus habet:

«Per indicare che un legittimo soggiorno fuori del Seminario durante il tempo della formazione si può avere soltanto come eccezione, per la via della dispensa, sarebbe bene sostituire la parola 'legitime' (prima riga del paragrafo) con la frase: 'debita obtenta licentia'».

Textus probatur prouti iacet, adiuncto tantum post «Ordinario» verbo «loci».

Can. 6 (CIC 1354 §§ 2-3)

Seminaria maiora habeantur sive pro ipsa dioecesi, ubi id fieri possit et expediat, sive pro variis simul dioecesibus, secundum Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis aestimationem.

Exc.mus Secundus Consultor propositionem Sacrae Congregationis pro Educatione Catholica praesentat:

«Per essere fedeli al Decr. *Optatam totius*, n. 7, bisogna aggiungere alla fine del testo: 'Haec vero Seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis quorum interest condita et ab Apostolica Sede probata'». Sic etiam sanxit Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis».

Rev.mus Relator aliam textus formulationem proponit, quae praecise ius pro omnibus dioecesibus proprium Seminarium habendi contineat. In casu necessitatis plures Episcopi in unum convenire possunt pro Seminario

interdioecesano constituendo. Si de Seminario regionali vel nationali agitur, necesse est ut Apostolica Sedes suam det approbationem.

En textus:

« Pro regula habeatur ut singulis dioecesis sit Seminarium maius, ubi id fieri possit atque expediat; secus, secundum Episcoporum dioecesanorum aestimationem, aut concredantur alumni qui ad sacra ministeria sese praeparent Seminario alius dioecesis aut erigatur Seminarium interdioecesanum, pro diversis insimul dioecesis; quod vero Seminarium, si regionale sit (vel nationale), pro universis scilicet dioecesis alicuius regionis ecclesiasticae vel nationis aut districtus regionalis, ne erigatur nisi prius obtenta ab Episcoporum Conferentia approbatione Apostolicae Sedis, tum ipsius Seminarii erectionis tum eiusdem statutorum ».

Omnibus placet.

Can. 7 (novus)

§ 1. Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent.

§ 2. In omnibus negotiis pertractandis personam Seminarii gerunt Episcopus dioecesanus, aut si agatur de Seminario interdioecesano, coetus Episcoporum quorum interest, itemque Seminarii Rector necnon qui ab Episcopo Episcopisve, quorum interest, ad hoc deputantur.

Placet.

Can. 8 (CIC 1358-1359)

§ 1. In quolibet Seminario habeantur Rector, qui, generale eius moderamen curans, ei praesit, et si casus ferat Vice-Rector, atque si alumni in ipso Seminario studiis se dedant, etiam magistri seu professores, qui, composita inter se earumdem coordinationis ratione, varias disciplinas tradant.

§ 2. In quolibet Seminario unus saltem adsit spiritus director, relicta libertate alumnis adeundi alios sacerdotes, qui de spirituali alumnorum formatione curam habeant.

§ 3. Duplex habeatur pro iis quae vitam Seminarii internam respiciunt coetus deputatorum:

I° alter constituatur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest, audito Consilio presbyterali, eligantur sacerdotes, quos Episcopus Epi-

scopive consulere possunt, immo et in negotiis maioris momenti, audire debent;

2° alter constituatur, cuius membra, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae, designentur aliqui Seminarii professores immo vel, in Seminario maiori etiam aliqui alumni, qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam Rectori operam praestent.

§ 4. Praeterea habeatur coetus deputatorum pro bonorum temporarium administratione, cuius membra ab Episcopo, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest, audito item Consilio presbyterali, eligantur clerici vel etiam laici in re oeconomica periti; hoc munere fungi non possunt Rector et oeconomus et director spiritus Seminarii necnon Vicarii generales et episcopales dioecesis.

§ 5. Deputati, de quibus in § 3, n. 1 et § 4, ad sexennium eligantur, sed iterum ad aliud sexennium eligi possunt, nec sine gravi causa amoveantur.

Placet § 1.

Ad § 2: S. Congregationis pro Educatione Catholica sequens propositio disceptatur:

«La libertà di scelta riservata ai seminaristi di poter scegliersi il direttore spirituale ed il confessore 'inter alios sacerdotes' potrebbe dare luogo ad una certa anarchia nella formazione spirituale, dal momento che non tutti i sacerdoti sono adatti ad impartirla. A questo inconveniente si è cercato di ovviare nella 'Ratio fundamentalis' (dietro l'espresso desiderio di parecchi Vescovi) con l'aggiunta: 'plane libertate sibi eligantur *inter eos, qui ad hoc munus idonei ab Episcopo deputati sunt*' (cf. Ratio fundamentalis, n. 55). Bisogna pertanto considerare bene la convenienza o meno di inserire una simile cautela nei sopracitati canoni ».

Propositio admissa non est et textus remanet prouti iacet.

Ad § 3: n. 1°) Supprimuntur verba «audito Consilio presbyterali »;

n. 2°) Exc.mus Secundus Consultor proponit ut verba «secundum praescripta Episcoporum Conferentiae» deleantur et Exc.mus Secretarius ut «immo vel» mutetur in «atque». Quae propositiones ab aliis acceptantur.

Propositio S. Congregationis pro Educatione Catholica: «La frase: '... qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam Rectori operam praestent' merita qualche leggero ritocco. Qui si tratta evidentemente di un 'coetus' per la disciplina. Perché la cooperazione auspicata degli alunni

non appaia soltanto come un aiuto per il mantenimento della disciplina (una specie di *aguzzini*) sarebbe bene aggiungere dopo le parole 'disciplina praesertim et universam Seminarii vitam promovendam Rectori operam dent' ». Un tale testo sarebbe più conforme allo spirito ed alle intenzioni del n. 24 della *Ratio fundamentalis* ». Non acceptatur.

Ad § 4: ex propositione Exc.mi Secundi Consultori, post « temporalium administratione » verba « cuius consilium Episcopus in negotiis maioris momenti petere debet, cuiusque membra... » inseruntur. Incisum « audito item Consilio presbyterali » supprimitur. Post « vel » deletur « etiam ».

Placet § 5.

Can. 9 (CIC 1331)

§ 1. Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad Seminarium accedant confessari, atque, salva quidem Seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in Seminario sive extra illud adire.

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e Seminario dimittendis, numquam confessariorum votum exquiri potest.

Placet.

Can. 10 (CIC 1363)

§ 1. Ad Seminarium maius ab Episcopo dioecesano admittantur tantummodo iuvenes qui, attentis eorum dotibus humanis et moralibus, spiritualibus et intellectualibus, eorum valetudine physica et psychica atque conditione familiae, necnon eorum recta voluntate, habiles aestimantur qui ministeriis pastoralibus stabiliter sese dedicent.

§ 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de susceptis baptismo et confirmatione aliaque quae, secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis, requirantur.

§ 3. Qui ex alio Seminario vel ex aliquo Instituto religioso dimissi sint aut sua sponte discesserint, ne admittantur, nisi prius Episcopus dioecesanus a Rectore Seminarii aut Superiore Instituti notitias obtinuerit de causa eorundem dimissionis aut discessus ac de eorum indole, moribus et ingenio, atque certo compererit nihil in eis esse quod Dei ministris minus conveniat; quas notitias Superiores rogati, secundum veritatem suppeditare debent.

Placet § 1.

Placet § 2, sed loco « baptismate » dicatur « baptismo ».

Placet § 3, sed loco « religioso » dicatur « vitae consecratae » et loco « Superiore » dicatur « Moderatore ».

Can. 11 (novus)

Si id ad alumnorum pleniorum formationem maturioremve ad sacros Ordines praeparationem opportunum aestimaverint, Episcoporum Conferentiae decernere valent ut candidati, sive omnes, sive, secundum iudicium Episcopi dioecesani, aliqui, probationi pro tempore determinato subiiciantur, et quidem aut expleto curriculo studiorum philosophico-theologico, post receptum nempe ordinem diaconatus, ad normam can. (de Sacra Ordinatione), aut etiam ineunte vel decurrente eodem studiorum curriculo.

Exc. mus primus Consultor praeoptaret ut iste canon supprimeretur, quia ei non placet quasi institutionalizatio quae in canone fit de casibus qui exceptionales remanere debent.

Em. mus Praeses istos casus reservandos esse Episcopis et non Conferentiis dicit.

Pro nunc textus remanet prouti iacet, nonobstante etiam propositione S. Congregationis pro Educatione Catholica, quae ita sonat:

« In questo canone dedicato alla 'probatio' dovrebbe risaltare con maggiore chiarezza il triplice tirocinio (spirituale, pastorale e diaconale) contemplato nel n. 12 del Decreto *Optatam totius* e nel n. 42 della *Ratio fundamentalis*. In tal modo sarebbero più intuibili i veri motivi delle prove previste in questo canone ».

Can. 12 (novus)

Antequam alumnis Seminarii ordinationes sacrae conferantur, Rector Seminarii de eorumdem idoneitate et aptitudine ad vitam ordini congruentem ducendam inquisitionem instituat, audiendo eorum parochos, aliosque qui eosdem bene noverint, sacerdotes, immo vel delectos laicos, collectasque notitias transmittat Episcopo dioecesano, cuius est de candidatorum idoneitate iudicare.

Placet.

Can. 13 (novus)

§ 1. In singulis regionibus ecclesiasticis, sicut et in singulis provinciis ecclesiasticis quae ad regionem ecclesiasticam non pertineant, habeatur In-

stitutionis sacerdotalis Ratio, ab Episcoporum Conferentia, attentis quidem normis a suprema Ecclesiae auctoritate latis, statuenda et a Sancta Sede approbanda, novis quoque adiunctis, approbante item Sancta Sede, accommodanda, qua institutionis in Seminario tradendae definiantur summa principia atque normae generales necessitatibus pastoralibus uniuscuiusque regionis, vel provinciae, aptatae.

§ 2. Normae Rationis de qua in § 1 servantur in omnibus cleri dioecesanis Seminariis tum dioecesanis tum interdioecesanis regionis, vel provinciae ecclesiasticae pro qua statuuntur.

Placet § 1.

Placet § 2, sed, ex propositione Exc.mi Secretarii, supprimuntur verba «cleri dioecesanis».

Can. 14 (novus)

Habeat insuper unumquodque Seminarium Ordinationem propriam (Règlement, Lebensordnung, Regolamento, Rule of Life, Reglamente), ab Episcopo dioecesano aut, si de Seminario interdioecesano agatur, ab Episcopis quorum interest, probatam, qua normae Institutionis sacerdotalis Rationis, de qua in can. 13, adiunctis particularibus accommodentur, ac pressius determinentur quae disciplinae paesertim capita ad alumnorum cotidianam vitam et totius Instituti ordinem spectant.

Placet.

Can. 15 (novus)

Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis et pastoralis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iidem maturitatem humanam, uniuscuiusque indoli convenientem, acquirant atque animi fortitudine in fide vivenda et testanda ac evangelica caritate emineant, atque ita apti evadant ut viva Aeterni Sacerdotis instrumenta efficiantur qui, Dei servitio ac hominum ministerio pastoralis totaliter sese devoventes, mirabile Christi opus salutis persequi valeant.

Exc.mus Secretarius animadvertit hunc in canonem 16 iam substantialiter contineri. Exc.mi secundus et tertius Consultores praeoptant ut canon servetur. Rogatur Rev.mus Relator ut breviorum textum componat, in proxima sessione Coetui submittendum, textum quo vitantur repetitiones eorum quae in can. 16 habentur et homiliae forma arcetur. Textus a Relatore propositus, in proxima sessione Coetui subiiciendus est qui sequitur:

«Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis et pastoralis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iidem maturitatem humanam, uniuscuiusque indoli convenientem, assequantur in-simulque spiritu Evangelii reapse imbuantur».

Can. 16 (novus)

§ 1. Institutio spiritualis, quae cum doctrinali et pastorali arcte coniuncta sit oportet, ita impertiatur, ut alumni spiritu Evangelii reapse imbuantur et intima totius vitae ordinatione configurentur Christo.

§ 2. Prae oculis constanter habito fine pastoralis totius formationis ministerialis, ita instituantur alumni ut secundum totum hominem mature-scant et gratiam baptismalem, qua homo elevatur, ad perfectionem evol-vant; ad spiritum missionalem efformentur, discentes ministerium in cari-tate semper impletum ad propriam sanctificationem praecipue conferre; il-las excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt et ipsa caritate christiana requiruntur, ita quidem ut ad harmonicam concilia-tionem inter bona humana et supernaturalia pervenire valeant.

§ 3. Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi reapse sint imbu-ti, Pontifici Romano Petri successori humili et filiali caritate devincti atque proprio Episcopo tanquam fidi cooperatores devotive adiutores adhaeren-tes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem, atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis excultam praeparentur ad unionem communis dioecesanis Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes.

Post disceputationem, item pro hoc canone, rogatur Rev.mus Relator ut novum proponat textum, quo vitantur repetitiones eorum quae antea iam habentur. Textus proponitur, Coetui in proxima sessione submittendus, ut sequitur:

«§ 1. Spiritualis institutio ita impertiatur ut alumni fide viva evangeli-caque caritate qua emineant apti sint qui ministerium pastorale fructuose exercent; ad spiritum missionalem efformentur, discentes ministerium in caritate semper impletum ad propriam praecipue sanctificationem confer-re; illas excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt et ipsa caritate christiana requiruntur, ita quidem ut ad harmonica concilia-tionem bona humana inter et supernaturalia pervenire valeant.

§ 2. Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi reipsa sint imbu-ti, Pontifici Romano Petri successori humili et filiali caritate divincti atque

proprio Episcopo tanquam fidi cooperatores adherentes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis excultam praeparentur ad unionem communitatis dioecesani Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes ».

Can. 17 (CIC 1367)

§ 1. Celebratio Eucharistica, quae communionem sacramentalem consumatur, centrum sit totius vitae Seminarii, ita ut alumni, ipsam Christi caritatem participantem animi robur pro futuro apostolico labore et pro sua vita spirituali ex hoc ditissimo praesertim fonte hauriantur.

§ 2. Formationi ad cultum Eucharisticum iungatur formatio ad divinum officium, quo Dei ministri, nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecantur.

§ 3. Institutionis sacerdotalis Ratione foveantur etiam quae venerando Ecclesiae usu commendata sunt pietatis exercitia quibus alumni spiritum orationis acquirant atque vocationis suae robur consequantur.

§ 4. Ad Sacramentum Poenitentiae frequenter accedere assuescant alumni, et unusquisque habeat directorem spiritualem, libere quidem electum, cui confidenter conscientiam aperire possit.

§ 5. Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent, ratione et modo in Ratione Institutionis sacerdotalis determinatis.

Placet § 1, sed post « ita ut » adiungatur « cotidie »; in fine loco « hauriantur » dicatur « hauriant ».

Placet ceterae paragraphi (§§ 2-3-4-5).

Can. 18 (novus)

§ 1. De officiis et oneribus quae ministris Ecclesiae propria sunt alumni debite reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita.

§ 2. Ad servandum statum coelibatus, quem qui libere amplectantur soli in Ecclesia latina ad sacerdotium admittuntur, aptis mediis praeparentur eumque ut peculiare Dei donum in honore habere discant.

Placet § 1, sed post « quae ministris » adiungatur « sacris ».

Placet § 2, tamen, ex propositione Exc.mi secundi Consultoris, loco « aptis mediis » dicatur « congrua educatione ».

Exc.mus tertius Consultor proposuerat «omnibus aptis mediis».

Cum huius canonis consideratione finis huius coetus sessioni imponitur et recognitio reliquorum canonum ad proximam sessionem — quae mense maio habebitur — remittitur.

Romae, die 17 octobris 1975.

M. DE NICOLÒ

F. VOTO

Actuarii